No. 131. 1245. 18. Aug.

P. Innocenz IV. ertheilt dem Probst Heinrich, Bruder des Markgrafen, auf Grund seiner hohen Geburt und anerkennenswerthen Leistungen Dispensation noch zwei selbst mit Seelsorge verbundene geistliche Aemter zu übernehmen.

Innocentius episcopus etc. dilecto filio Henrico praeposito ecclesiae Misnensis, fratri dilecti filii nobilis viri ... marchionis Misnensis, salutem etc. Etsi propter ambitiones quorumdam, ne quis plures ecclesias et ecclesiasticas dignitates habeat, sacra constitutio concilii interdicat, circa sublimes tamen et litteratas personas, quae sunt maioribus beneficiis honorandae, consuevit sedes apostolica cum id exposcit ratio dispensare. Attendentes itaque nobilitatem morum et generis, honestatem vitae et conversationem laudabilem, quibus diceris adiuvari, ac propter hoc volentes tibi gratiam facere specialem, tecum quod praeter beneficia ecclesiastica, quae obtines curam habentia animarum, alia duo beneficia, etiamsi similem curam habeant, libere possis recipere, si tibi canonice offerantur, ac una cum obtentis licite retinere constitutione non obstante praedicta, auctoritate praesentium dispensamus, proviso quod eadem beneficia debitis obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. nostrae dispensationis etc. Si quis etc. Datum Lugduni XV. Kal. Septembris pontificatus nostri anno tertio.

Aus dem Lib. regestor. an. III. ep. 66. T. I. fol. 222. im Vatican. Archiv.

No. 132. 1245. 18. Aug.

P. Innocenz IV. ertheilt dem Domherrn Johann Erlaubniss mehrere auch mit Seelsorge verbundene geistliche Aemter zu übernehmen und gleichzeitig zu verwalten.

Innocentius episcopus etc. dilecto filio Johanni canonico Misnensi, salutem etc. Etsi propter ambitiones quorumdam etc. Cum igitur de morum honestate, conversatione laudabili ac litterarum scientia commendaris: nos ob hoc nec non obtentu dilecti filii nobilis viri lantgravii Turingiae pro te nobis instantissime supplicantis, volentes tibi facere gratiam specialem, tecum quod plura ecclesiastica beneficia curam animarum habentia, si tibi canonice offerantur, libere recipere valeas ac licite retinere, constitutione non obstante praedicta, auctoritate apostolica dispensamus, proviso — —[a]) negligatur. Nulli ergo etc. nostrae dispensationis etc. Si quis etc. Datum Lugduni XV. Kal. Septembris pontificatus nostri anno tertio.

Aus dem Lib. regestor. an. III. ep. 67. T. I. fol. 222 im Vatican. Archiv.

---

a) Wie no. 131.